

At si tamen verum est in Aristotelis philosophia, cur ab Aristotele in Anaxagorae philosophia verum quoque suum irrideatur? Invehitur in homoeomerias Anaxagoreas, suas sanctas habet. Quid enim aliud quam ipse quoque ex homoeomeriis universum  
 5 constituit? Anaxagoreisque secretionibus ac vocibus etiam utitur? Libro De elementorum actionibus capite 10:<sup>26</sup> *Dico autem homoeomerea, veluti metalla, aurum, aes, argentum, stannum, ferrum, lapidem et alia talia et quaecumque ex his fiunt per secretionem et ea quae in animalibus et plantis et carnes et ossa.* At Anaxagoras quoque fuerat usus, ut ipse eo capite his nominibus, ἐκκρινόμενον,  
 10 *secretum, et carnis,*<sup>27</sup> *ut ex carne aqua secreta.* Idem ergo dogma utriusque et Aristoteles ex talibus universum constituit capite 12. eiusdem libri in his verbis:<sup>28</sup> *Ex elementis quidem homoeomerea, ex his vero, ut ex materia, universa opera naturae.* Non est ergo  
 15 iure Anaxagoras ab Aristotele eiusdem dogmatis consorte, constructore reprehensus.

Sed tertio loco idem vir ab eodem viro carpitur:<sup>29</sup> *Non recte vero generationem accipit ex eisdem formis.* At ipse hoc quoque dogma, ut prius, arripit 1. De generatione capite 5:<sup>30</sup> *Generatur quidem simpliciter aliud ex alio, ut in aliis est determinatum et ab aliquo actu existente vel eiusdem speciei vel eiusdem generis, ut ignis ab igne et homo ab homine.* Quae prorsus est et Anaxagorea et Aristotelea doctrina, ab Aristotele tamen in Anaxagora reprehensa, in se laudata.

<sup>26</sup> λέγω δ' ὁμοιομερῆ οἶον τὰ τε μεταλλεύόμενα χρυσόν, χαλκόν, ἄργυρον, καττίτερον, σίδηρον, λίθον, καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα, καὶ ὅσα ἐκ τούτων γίνεται ἐκκρινόμενα καὶ τὰ ἐν τοῖς ζώοις καὶ φυτοῖς, οἶον σάρκες καὶ ὀστά [ὀστά]. [ARIST. Mete. 388a.13 – 17]

<sup>27</sup> οἶον ἐκ σαρκὸς ὕδωρ ἐκκρινόμενον. [ARIST. Ph. 187b.24 – 25]

<sup>28</sup> ἐκ μὲν γὰρ τῶν στοιχείων τὰ ὁμοιομερῆ, ἐκ τούτων δ' ὡς ὕλης τὰ ὅλα ἔργα τῆς φύσεως. [ARIST. Mete. 389b.26 – 28]

<sup>29</sup> οὐκ ὀρθῶς δὲ οὐδὲ τὴν γένεσιν λαμβάνει ἐκ τῶν ὁμοειδῶν. [ARIST. Ph. 188a.13 – 14]

<sup>30</sup> γίνεται μὲν οὖν ἀπλῶς ἕτερον ἐξ ἑτέρου, ὡσπερ καὶ ἐν ἄλλοις διώρισται, καὶ ὑπὸ τινος δ' ἐντελεχείᾳ ὄντος, ἢ ὁμοιοειδοῦς, ἢ ὁμογενοῦς, οἶον πῦρ ὑπὸ πυρὸς ἢ ἄνθρωπος ὑπὸ ἀνθρώπου. [ARIST. G C. 320b.17 – 20]